

habet omnem perfectionem illius generis, seu speciei talis formæ. Cujus ratio est, quia forma sub conceptu formæ solum dicit actualitatem per modum principii quo, actualitas autem solum est ratio perfectionis, ergo forma, quæ non habet nisi actualitatem sui generis habet in se principium limitandi talem perfectionem, ex vi enim, et conceptu ipsius actualitatis, et formæ non potest limitari, cum potius actualitas sit ratio perfectionis, ergo si solum est actualitas, et forma, solum erit perfectio illius generis, in quo actualitas est; sed forma non recepta, sed in se subsistens solum habet id quod formæ, et actualitatis est, ergo solum habet id quod perfectionis est in tali genere; ergo nisi adjungatur illi aliquid præter conceptum formæ non poterit limitari. Hoc autem vel est materia recipiens, vel causâ efficiens illius. Materia non datur, ut supponimus, quia est forma separata ac omni materia: efficiens autem non efficit aliquid limitatum nisi intrinsece ponendo in re effecta aliquid quod sit ratio limitationis formaliter, et in facto esse. Et de hoc rursus inquiram, an sit actualitas, et forma, vel materia. Materia non datur, actualitas autem, vel forma solum est ratio, et principium habendi perfectionem, ergo non remanebit talis forma cum aliquo principio limitationis intra genus suum.

XI. Contra hanc rationem objicitur primo: Nam vel Div. Thomas loquitur de esse existentiae, vel de esse essentiae, vel de utroque simul. Si primum non probat Deum esse perfectissimum in toto genere entis, sed solum in genere existentiae, quando dicit, quod est esse subsistens. Si de esse essentiae, tale esse abstractum est gradus analogicus entis, qui est imperfectissimus. Si de utroque simul erit, quoddam

conflatum ex abstracto imperfectissimo, scilicet ex esse essentiae in gradu analogico, et ex esse existentiae, quod est perfectissimum non absoluto, sed in genere existentiae, ergo ex tali conflato non potest inferri, quod Deus habeat omnium rerum perfectiones, nec potest verificari, quod Deus est subsistens in esse essentiae, quia non potest subsistere in esse essentiae, nisi subsistat in gradu analogico separato, quod est implicitorium.

XII. Secundo objicitur: Nam forma separata subsistens non habet totam perfectionem sui generis ex vi talis subsistentiae, nihil enim vetat plura individua concipere in tali forma subsistente, sicut in genere relationis sunt plures relationes reales in Deo, et tamen quælibet non habet totam perfectionem relativam alterius, sed distinguitur ab illa. Similiter potest intelligi separatus calor intensus et calor remissus, quia talia accidentia separari possunt, sicut quantitas in eucharistia, et tamen tunc calor remissus non continebit totam perfectionem caloris. Item datur forma substantialis subsistens, ut anima rationalis, et tamen non habet omnem perfectionem sui generis, et Angelus est forma subsistens sine materia, et tamen non continet omnem perfectionem naturæ angelicæ, nec suorum inferiorum. Denique, esse existentiae est realiter distinctum ab esse essentiae, ergo ex eo quod sit subsistens tale esse non sequitur, nisi quod habeat omnes perfectiones existentiae, non autem omnes perfectiones essentiae, ergo non sequitur quod contineat omnem perfectionem in toto genere entis, nisi supponatur habere esse essentiae infinitæ, sed hoc erit procedere ex alio principio, non ex eo præcisc, quod esse sit subsistens, sed ex eo quod est essentia in-

finita, quod tamen restabat probandum.

XIII. Pro intelligentia hujus rationis Div. Thomæ quæ valde profunda est, oportet præsupponere illam vulgarem distinctionem, quod alia abstractio est formalis, alia totalis, quas abstractiones distinguit Div. Thomas I part. quæst. XL, articul. III, et abstractio totalis est, qua abstrahit universale a particulari, formalis vero est qua abstrahit formam a materia, vel actus a potentia. Et differt una ab alia, quia in abstractione totali non remanet id a quo fit abstractio, remoto enim rationali non remanet homo. At vero in abstractione formali utrumque remanere potest, quia remota forma circuli a ligno adhuc remanet lignum. Dicitur autem abstractio totalis, quia tam id quod abstrahit, quam id quod contrahit significatur, ut totum, ita quod unum prædicatur da alio, sicut animal de homine. Et in ista abstractione semper id quod est universalius, et abstractius est imperfectius, et potentialius, quia remanet magis contrahibile, et determinabile, et consequenter magis indifferens, et in potentia, quanto enim aliquod totum est magis determinatum, et contractum, tanto in paucioribus invenitur, et minus est communicabile, et consequenter minus commune, et universale; quanto vero abstractius, tanto universalius, et communius, et consequenter minus determinatum, et consummatum, et magis in potentia. At vero abstractio formalis solum separat id quod actualitatis, et formæ est ab eo, quod potentiale, et materiale est, seu conditionis potentialitatis, et materialitatis, et sic quanto abstractior, tanto perfectior, quod est procedere opposito modo ad abstractionem totalem, neque in abstractione formali consideratur ratio

universalitatis, et particularitatis, vel quod sit univoca, vel analogica, vel solum quod ratio abstrahens induat conditiones actus, et formæ, exuat autem conditiones et potentiae, et materiae.

XIV. Igitur Divus Thomas in præsententi accipit esse, ut abstractum abstractione formali, et quod in tali abstractione formali subsistit, debet habere omnem perfectionem in genere entis, nec potest in tali esse separari id quod est existentiae ab eo, quod est essentiae, licet enim hæc duo in ente considerentur, tamen forma essentialis, seu esse essentiae non potest perfecte, et simpliciter abstrahere abstractione formali, bene tamen esse existentiae, et tunc coincidunt esse essentiae, cum esse existentiae.

XV. Et ratio est quia essentia, ut distinguitur ab existentia quantumcumque concipiatur per modum formæ, et principii constituentis formaliter essentiam, semper tamen includit potentialitatem in genere entis, si quidem distinguitur ab existentia, cum illa sit terminus ultimus actualitas, est in potentia respectu illius, non ergo essentia sub conceptu essentiae, et ut distinguitur contra existentiam potest simpliciter, et perfecte abstrahere abstractione formali in genere entis, si quidem non potest segregare, et excludere omnem potentialitatem illius generis, cum semper maneat in potentia ad existentiam. Ut ergo in genere entis abstrahatur aliquid abstractione formali perfecte, et simpliciter oportet, quod non sumatur conceptus essentiae, ut distinguitur ab essentia, sed quod ipse conceptus existentiae, quæ est ultima actualitas in genere entis purificetur ab omni limitatione sibi adjuncta, et sic excludat omnem potentialitatem ex parte essentiae, sibi provenientem. Et sic in tali abs-

tractione non poterit esse aliud essentia, quam esse, quia essentia solum distinguitur ab esse ratione potentialitatis, quam dicit essentia ab esse. Unde cum per abstractionem formalem separetur omnis potentialitas in illo genere in quo fit, per abstractionem in genere entis segregatur omnis potentialitas essentiae, et consequenter non debet accipi ibi esse essentiae, ut distinctum ab esse existentiae, quia esse sic distinctum est in potentia ad esse existentiae et consequenter non perfecte abstractum a potentialitate in toto genere entis. Ex quo fit, quod esse existentiae sic abstractum continet omnem perfectionem, et actualitatem entis, quia solum excludit essentiam quantum ad id quod potentialitatis est, non quantum ad id quod actualitatis, quia actualitas entitatis, ut extra potentialitatem est necessario pertinet ad esse existentiae, non considerando existentiam, ut est actus distinctus ab essentia, hoc enim illi extrinsecum est, et per accidens, quatenus scilicet in essentia, cui adjungitur supponit aliquam potentialitatem, sed considerando illam, ut præcise est actus ultimus in ratione entis, hoc enim est de ejus conceptu, distinctio vero essentiae ab existentia ex imperfectione essentiae nascitur, quatenus potentialitatem habet ad existendum non ex ipsa formalitate existentiae. Aliud est ergo abstrahere, seu separare actum existentiae ab essentia, ut est actus distinctus ab essentia, aliud abstrahere actum existendi, ut præcise dicit ultimam actualitatem in genere entis. Primo modo non potest fieri abstractio formalis perfecte, et simpliciter, quia hoc ipso quod sumitur existentia distincta ab essentia sumitur, ut determinata, et limitata ad ipsam potentialitatem essentiae, ratione cujus distinguitur ab illa, sed se-

cundo modo abstrahit abstractione totali perfecta, et simpliciter, et sic removet omnem potentialitatem in genere entis, et tunc coincidit esse existentiae, cum esse essentiae, et continet omnem perfectionem in genere entis, quia est forma perfecte abstracta abstractione formali in illo genere.

XVI. Ex his ergo fit perspicua vis rationis Divi Thomæ quæ non fundatur in eo, quod aliqua forma subsistat, sed quod forma abstracta abstractione formali perfecte, et simpliciter subsistat, id est, non adjungatur alteri ex cujus potentialitate imperficiatur, et limitetur. Nec fundatur in eo, quod existentia in quantum est distincta ab essentia abstrahatur abstractione formali, quia ut est actus distinctus ab essentia est existentia limitata, et determinata, et supponit ipsa potentialitatem essentiae, cui adjungitur, ut ratione ejus distinguatur ab illa, solum enim distinguitur ab eo, quod est in potentia, ut actuatur: sed loquitur de esse sub conceptu ultimæ actualitatis in genere entis, si enim abstrahendo, et segregando omnem potentialitatem per abstractionem formalem excludit etiam omnem distinctionem ab essentia, et cum discernat omnem potentialitatem, et perfectionem in illo genere entis consequenter includit omnem perfectionem illius generis; accipiendo solum id quod purum et perfectum est. Quæ doctrina desumitur ex D. Cajetano 1, part. qu. LIV, art. 1, §. Sed secundam dubitationem.

XVII. Ad primum ergo quod objicitur in contrarium, respondetur ex dictis, quod S. Thomas loquitur de esse existentiae, non ut est distinctum ab esse essentiae, hoc enim solum convenit illi quatenus esse esse creatum, sed loquitur de esse existentiae, ut præcise est ultima actualitas in genere entis, et in ista ra-

tione ultimæ actualitatis perficitur, et depuratur ab omni potentialitate, unde excludit omne principium distinguendi essentiam ab existentia, distinguitur enim ratione potentialitatis essentiae, et ex eo, quod existentia tali essentiae potentiali communicabilis est, tamquam propria ejus, et determinata ad illum potest ejus imperfectiones participare, et sic non abstrahet abstractione formali simpliciter, et perfecte.

XVIII. Et ex defectu hujus intelligentiæ D. Thomæ lapsi sunt aliqui, qui dixerunt D. Thomam cum in præsentia dicit, quod esse est perfectissimum omnium, et omnes perfectiones essendi includit, quod loquitur de ipso duplici esse existentiae, et essentiae quatenus distinguuntur inter se, comparavit esse essentiae actualis ad essentiam possibilem, et esse existentiae actualis ad existentiam possibilem, et esse existentiae actualis ad existentiam possibilem et voluit dicere, quod essentia actualis est perfectior essentia possibili, et existentia actualis existentia possibili, et ita omne esse actuale (aggregando esse essentiae, et existentiae) est perfectius omnibus rebus possibilibus, quia comparatur ad eas tamquam actualitas ipsarum. Cum autem fit instantia, quod existentia est illa, quæ reddit essentiam actualem, et extra possibilitatem, et sic per ipsam habet essentia hanc perfectionem, qua comparatur ad possiblea tamquam quid actuale, respondet Biescas in hac quæstione IV, ar. 1, dub. III, quod existentia, quæ distinguitur realiter ab essentia in creaturis non est id quo essentia ponitur extra causas, et extra nihil, sed id habet essentia per suam propriam entitatem, per existentiam vero solum est per se, vel in alio sumendo existentiam, ut distinguitur realiter ab essentia. Unde idem auctor ibidem,

ar. II, dubio X, torsit rationem Divi Thomæ qua ex abstractione formæ probat convenire illi omnem perfectionem sui generis, et reduxit rationem D. Thomæ ad aliud principium, scilicet quod Deus est ipsa essentia, et subsistentia in abstracto, quia est simplicissima, non recipiens essentiam, aut existentiam tamquam essentia participata, sed ut imparticipata, et sic continere debet omnes perfectiones rerum.

XIX. Cæterum jam superiori disputatione impugnavimus hanc sententiam, quantum ad id quod affirmat existentiam non constituere rem extra causas, neque quoad hoc distingui realiter ab essentia. Nam revera nihil aliud dicunt oppositi auctores, quam quod existentia sumpta pro actualitate ponendi extra causas non distinguitur ab essentia. Si vero sumatur pro subsistentia, vel inhærentia, non negant distingui, sed hoc est confundere existentiam cum subsistentia, et funditus evertere principia D. Thomæ qui semper distinguit existentiam, et subsistentiam, ut disputatione præcedenti vidimus, et I physicor. q. VII. Quoad secundum vero, quod dicit ille auctor circa rationem D. Thomæ manifestum est, quod divertit ab illa, neque enim D. Thomas probavit omnimodam Dei perfectionem ex simplicitate, aut ratione essentiae imparticipatæ, sed ex abstractione formali ipsius esse. A qua ratione divertitur, si omissa abstractione ipsius esse recurritur ad simplicitatem divinam aut ad aliud attributum. Et non probatur intentum, restat enim probare quomodo simplicitas ex præcisa ratione simplicitatis, nisi alias supponatur forma ipsa, seu essentia, quæ simplex est summam perfectionem habere, omnes perfectiones entis in se habeat, oportet enim semper recurrere ad aliquam formam, quæ totam perfectionem

entis ambiat, ut omnium perfectiones in se imbibat, quod in ipso esse, si est actus totius entis, optime apparet, alias petitur principium.

XX. Ad secundum argumentum, respondetur quod in forma subsistente in abstractione formali ab omni materia non potest intelligi aliqua distinctio individualis, quia hæc distinctio fit per principia materialia, cum fiat per infimum gradum in prædicamento, quæ cæterorum omnium susceptivus est, et non pertinet ad constitutionem quidditatis specificæ, sed ad modum et ad statum ipsius, scilicet ut individuetur et multiplicetur, secundum divisionem non formalem, et specificam, sed materialem intra eandem speciem. Repugnat autem, quod ubi est abstractio formalis, quæ excludit omnem materialitatem, includat multiplicationem individualem, quæ fit per materialia principia, si enim excludit principium multiplicationis individuorum. Quod vero dicitur de relationibus divinis, respondetur multiplicari quidem relationes propter oppositionem relativam, sed quidquid perfectionis est in una, est etiam in altera propter infinitatem, quam habent etiam in genere relationis. Unde in ratione perfectionis non opponuntur, sed solum in ipso exercitio respiciendi, et terminandi. De quo amplius dicemus infra circa quæstionem xxviii.

XXI. Ad tertium dicitur, quod accidentia separari a subjecto non est subsistere in abstractione formali, nec remove habitudinem, et aptitudinem ad existendum in subjecto, sed solum sine actuali concursu subjecti, et dependentia ab ipso existere. Unde ex ordine ad subjectum quod in eis remanet, individuatur illa accidentia, et potest in eis manere intensio, et remissio, quæ per ordinem ad subjectum convenit accidenti. Quare ex separatione ac-

tuali a subjecto non dicuntur accidentia esse formæ abstractæ abstractione formali, id est, remove omnes materialitatem, seu habitudinem ad subjectum materiale, et potentiale.

XXII. Ad quartum dicitur, quod aliud est dati naturam subsistentem etiam sine materia, aliud dari formam abstractam subsistentem in ipsa abstractione, vel in suo esse. Non enim dicit Div. Thomas, quod omnis essentia subsistens, seu omnis forma sine materia subsistens est una, et continet omnes perfectiones sui generis, hoc enim est manifeste falsum. Sed quod dicit est, quod forma abstrahens abstractione formali, id est, purificata ab omni eo, quod formale non est, id est, ab omni materialitate, seu ab omni conditione materiali sui generis, et sic subsistens, omnem perfectionem contineret in illo genere, et esset unum. Modo autem anima rationalis non subsistit sine omni materialitate, quia dicit ordinem ad corpus, imo nec Angelus, qui etsi omne corpus excludat, non tamen omnem potentialitatem, quia potest recipere esse, et accidentia. Et tamen quia excludit Angelus materiam physicam non est multiplicabilis individualiter, quia caret principio multiplicationis materialis sine formali, cum sit forma sine materia. De quo latius dicemus infra, q. l.

XXIII. Ad ultimum respondetur ex dictis, quod D. Thomas loquitur de esse existentie, non ut dicit existentiam limitatam, et distinctam ab essentia, sed ut dicit rationem ultimæ actualitatis in genere entis depuratam ab omni potentialitate, et materialitate illius generis, sic enim totius generis entis continet perfectionem, quia omnium excludit imperfectionem, et tunc coincidit cum esse essentia, ut explicatum est.

ARTICULUS II.

Utrum omnes perfectiones creaturarum sint in Deo formaliter, vel solum eminenter?

Præmittenda est triplex distinctio. Prima est de ipsis perfectionibus in se. Secunda, de modo ex parte perfectionis contentæ. Tertia, de modo ex parte perfectionis continentis.

I. Prima distinctio est: Perfectiones aliæ sunt pure increatæ, ut esse actum purum, esse creatorem, et similia, quæ ex vi sui formalissimi conceptus increatæ sunt, nec alio modo concipi possunt. Aliæ sunt pure creatæ, ut esse dependens, esse factum, esse potentiale, esse positum in prædicamento, et similia, quæ stante suo formali conceptu nunquam possunt depurari a ratione creata, et attribui Deo. Aliæ sunt perfectiones medio modo se habentes, quæ ex vi sui formalis conceptus non dicunt determinate perfectionem creatam, neque increatam, potest tamen ad utrumque trahi, et hæc vocari solet perfectio simpliciter simplex, et definitur sic, quod in quolibet ente melior est ipsa, quam non ipsa, id est, ex ipsa ratione entis semper est melior talis perfectio, licet ex particulari conceptu possit ei repugnare, et sic non esse ei bonum sicut lapidi non est bonum vivere, quia destruit naturam lapidis, licet in ratione entis melius esset. Itaque istæ perfectiones ex se simplices sunt, sed tamen ex aliquo adjuncto possunt inveniri in Deo, vel in creaturis, sicut esse, subsistere, vivere, intelligere, nam ex suo formali conceptu nihil dicunt de creato, vel increato, si tamen ei adjungatur aliquid, ratione cuius limitentur, redduntur creatæ v. g. vivere, seu esse humanum, vel an-

gelicum, aut quid simile. Si autem purificentur ab omni ratione limitante, redduntur increatæ.

II. Secunda distinctio est, quod perfectio in alio contenta potest considerari dupliciter, vel quoad essentiam, sive naturam suam, vel quoad modum, et statum essendi, sicut alio modo perfectio invenitur in re, scilicet materialiter, et entitative, alio modo in intellectu scilicet intentionaliter, et intelligibiliter. Similiter alio modo res est in sua existentia, alio modo in virtute suæ causæ et alio modo res est in facto esse, alio modo in fieri, alio modo in tempore, alio modo in æternitate; et sic multa alia exempla poni possunt, nunquam enim una res potest esse in alio secundum eundem modum, quo est in se, quia ille modus et determinatio, qua est in se, est limitatio secundum quam non potest transire extra se.

III. Tertia distinctio est, quod continentia alterius alias est formalis, alia eminentialis, alia virtualis. Continere formaliter est continere aliquid sub ea forma, sub qua natum est existere in se, sicut sol, et ignis continent lucem. Continere eminenter est continere aliquid sub ratione superiori excedente eam, ut est in se, sicut sol continet calorem sub excellentiori forma, quam est in igne, scilicet in forma cœlesti. Et hoc modo effectus sunt in causis æquivocis, et quanto magis crescit eminentia causæ superioris, tanto perfectius, et altius continet res inferiores. Unde in Deo, qui est suprema causa datur continentia rerum omnium supremo modo, id est, quod contineat omnes res secundum omnem, et adæquatam rationem suam, quia totum quod est in eis participatur a Deo. In causis vero creatis quantumcumque superioribus non possunt sic contineri effectus, quia a nulla causa creata manant effec-